



00 ✓



CHRISTO
S.
PIÆQUE MEMORIÆ
MATRONÆ OPTIMÆ ET LAUDATISSIMÆ
EUPHROSYNÆ

è celebri
MOSERORUM,
prosapia ortæ,

Viri Nobilissimi & Amplissimi

Dn. CASPARIS ROSÆ,

in Trögniz & Neiden Hæreditarij, &c.

Sereniss. Electoris Saxon. à Consi-

liis & Rationibus Provincialib. publicis &c.

RELICTÆ VIDUÆ,

Quæ, cum d. 14. Octobris Anno M DC LXI. animam Salvatori suo red-
didisset, d. 24. Eiusdem Splendidissimis Exequiis elata, & so-
lenni Carminis officio merito suo

commendata est

pie Dolentib.



Dresdæ, Typis Seyffertinis.

9



CHRISTO

Handwritten text, likely a title or heading, appearing as a faint, mirrored bleed-through from the reverse side of the page.

Main body of handwritten text, appearing as a faint, mirrored bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is mostly illegible due to fading and bleed-through.





In placidum & beatum excessum
Matrona piissima,
Ex natalibus MOSERIÆ,
& ex baptismo EUPHROSYNÆ,
ex Conjugio autem ROSIÆ
dicta.

Qua sub MOSE prius nata est MOSERIA, CHRISTE,
Est ROSEA in roseo Sangvine facta tuo.
Mortali aeternaque ROSÆ sociata Maritis,
Hinc ROSIA ex duplo jure vocata fuit.
Ex Mose agnitio peccati; ablutio contra
Ex Christi roseo sanguine & ore fluit.
Excipiunt avido complexu Vulnera Christi;
Quem pavidum Mosis fulgura dira fugant,
Fluminibus madefacto, tuis pia Faemina, Christe, est,
Fulminibus Mosis que tremefacta fuit.
Sanguine lota tuo, dum vitam intraret; eandem
Ducit & exhalat sanguine pota tuo.
A Mose ad roseum Christi perducta cruorem,
Nunc colit aetheria regna beata domus.
Dysphrosynen Adamus eam, nos qualiter omnes,
Ex merito culpa fecerat esse jus,
EUPHROSYNE sed enim rosei in baptismatis unda
Ex merito dicta est factaque, CHRISTE, tuo.

Cant. II, v. 1.

Eupbro.

Euphrosyne vitam sub Christi pace peregit ;
In pace hac vitam finit Euphrosyne.
Discite Mortales pariter confidere Christo ;
Discite sic Christo credere, sicq; mori.

Supremis honoribus piè
defunctæ lugens pos.

M. JOHANN. ANDREAS LUCIUS,
Sereniss. ELECTORIS SAX.
Concionator aulicus.

Sic MATRONA ferens speculum memorabile sexus
Fæminei, vitâ deficiente, cadit.
Sed cadit ipsa DEO, cui vixit, mortua & illi est ;
Nunc in cœlesti sede locata valet.
Quid datis in luctus animum? quid fletis AMICI?
Non redit; ast nobis scandere ad astra datum est.

Ultimo honori piè in
Christo defunctæ lit.


M. DANIEL Schneider/
Eccles. Dresd. Symmysta.

Sic morimur cuncti! sic funera mista Virorum
Et Matronarum fercula mortis habent!

Non

Non Genus aut virtus letbo spectatur ab ipso,
 Quotquot humonati, fata suprema vocant.
 Hac nec theriaci pellunt alabastra veneni,
 nec panacea potens, herba nec ulla cavet.
 Nec Tibi Matronale Decus, Rosa florida sexus,
 Virtutum, mundi, parcere parca cupit.
 At Christo moriens morti denasceris, inde
 In caelis nunc Te Vita beata manet.
 Quid mors in Christo nobis? Est mortis imago!
 Est sopor! Est nomen, nomen inane! Nihil!
 In Christo medicina potest non poena, vocari
 Mors, mortis finis, janua lata poli.
 Istic agis felix, & mortis fercula rides,
 Quae fecit Vatâ jam sine fine frui.

M. Wolffg. Köhler,
 Diac. Dresd.



MOSERIA* insequitur pia fata beata MARITI,
 Tradit seq. rosis † EUPHROSYNE euphrosynes.
 Nos gratamur Ei lata ista * Roseta, Roseta
 Quae praebeant caeli (gaudia laeta!) Rosas.
 † Pietatis bonos, ô praeimia laeta Polarchae
 Quae gratis donat, laeta fidesq. capit!
 * Moseria à 700 tradidit, aedit, donavit.
 † Euphrosyne h.e. letitia.
 * Allusio ad nomen B. Mariti.

M. Johan. Bohemus,
 Poët. Caesar. Rector.
 ELE.



ELEGIA.

S*l* Matronarum Virtutes Rostra merentur,
ROMA velut rectè censuit illa vetus,
Et PAULUS Viduas, vera pietatis alumnas,
Dicit honorandas quolibet esse modo.
Agré nemo feret, raptam modò morte ROSILDIN,
Sermone efferri, carminibusq; vebi.
Quicquid enim laudis, quicquid virtutis habere
Fœmina seu Coniux, seu viduata potest,
Omne id possedit: nam (stirps ut clara Parentum
Atq; inde accepta non referantur opes.)
Quantum à tàm clara splendoris adeptæ Marito est,
Qui ROSA non-vano nomine dictus erat?
Ejus quippe Cinis lacrymis permixtus inemptis,
Semper adhuc grato replet odore rogam.
Et licèt abnuerit sobolem, dulcesq; nepotes
Coniugio huic Genitor maximus ille DEUS.
Nubila nulla tamen thalamum infecere serenum;
Sed fuit inter Eos Pax, Amor, atq; Fides,
Et qui non fuerit, cùm nil pacatius illa,
Nil fuerit constans, nilq; fidele magis?
Quid? quod & orbatos Natos suscepit alendos,
Tolleret ut vacui tædia mœsta Laris.
Quos quò maiori complexa est semper amore,
Prospexitq; illis, consuluitq; magis.
Hoc magis his Obitus nunc est Illius acerbus,
Præteriti refricans vulneris omne genus.
Sed nec ab his tantùm defletur: plurimus Ordo,
Illam obiisse, animo commiserante dolet.

Idq;

Idq̄ ob tam multas Virtutes, qualibus Orbem
Cernimus orbari nunc magis atq̄ magis.
Quod quando Ipsa etiam vidit, seu verius audit,
(Nam raro vidua est visa fuisse foris)
Sapius optavit discedere posse beatè,
Et sese sancto consociare choro.
Annuat optatis jam Iova & fata sequentem
Promtè, cælesti sede recepit Eam.
Casta ubi cum castis Geniis Anima adspicit Agnum,
Letitia compos, quæ sine fine manet.
Quid fletu hic opus est? potius gratabimur illi
Tam pulchram sortem, tamq̄ perenne Bonum.
Et Cineri requiem solenni more precati,
Dicemus: Statuâ femina digna fuit.
In tumulum,
EUPHROSYNE hic jaceo, falso sic dicta, priusquam
Parte mei subij nobiliore Polum.

M. BENJAMIN STOLBERGIUS
Schol. Dresd. ConRector,

EST ROSIA Euphrosyne vocata Nobilis,
Quum tingeretur fonte sacro; nec male.
Non Jupiter meliorem Ei finxit luto
Præcordia; IPSE DEUS dedit Mentem bonam,
Quæ sacra nôrat & profana plurima,
Sexumq̄, quod paucis datum, supergredi
Poterat suum virtute rarâ prædita.
Nunc Mens soluta facta corpore purior
Deum tuetur & capis mysteria

Quæ

(Qua nosse, quantum!) amatq; perfectè Deum.
Verbo: optimæ quod Mentis officium est. facit.

Supremo honori
Nobiliss. Matronæ
scrib. Dresd.

M. JOHANNES SIMON.
Facult. Phil. Witteb. Adjun-
ctus & Schol. Opp. ibid. ConR.

Non tunc orbis eram, cum proles posthuma, Matre
Orbarer, vitæ limina prima terens.

Namq; vicem Matris Matertera magna subibat
Protinus, atq; omni me relevabat ope.

Sed nunc, quando illam rapuit trisulenta mortis,
Orphanus heu vere sumq; vocorq; miser.

Ecquis enim curamq; mei, curamq; meorum
Tàm benè, tàm fidè tàm sapienter aget.

Ni Deus hoc, ut sunt nunc tempora, fecerit, actum est:
Atq; mihi exequias, cui vacat, ire licet.

Ergò age, summe Pater, dextram mox porge, Tuq;
Tutelâ miseris tempus in omne tege.


Tu verò ô Mater (nam sic Te jure vocamus)
In Cælo rursus convenienda, Vale.

Et cum pro meritis jam nil tibi reddere possim,
In nostro tumulum pectore semper habe.

Inter gemitus & lachrymas
turbatissimo animo


f.

Casparus Ringenbalt.



66925

AB: 66925

ULB Halle 3
003 144 305


Sb.

R

VD 17





CHRISTO
S,
PIÆQUE MEMORIÆ
MATRONÆ OPTIMÆ ET LAUDATISSIMÆ
EUPHROSYNÆ
è celebri
MOSERORUM,
prosapia ortæ,
Viri Nobilissimi & Amplissimi
Dn. CASPARIS ROSÆ,
in Trögniz & Neiden Hæreditarij, &c.
Sereniss. Electoris Saxon. à Consi-
liis & Rationibus Provincialib. publicis &c.
RELICTÆ VIDUÆ,
Quæ, cum d. 14. Octobris Anno M DC LXI. animam Salvatori suo red-
didisset, d. 24. Ejusdem Splendidissimis Exequiis elata, & so-
lenni Carminis officio merito sue
commendata est
A
pie Dolentib.
Dresdæ, Typis Seyffertinis.

9